

RECENSIO

UNIVERSI CLERI DIOECESIS QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTAE CUM EXITU SEculi 17-MI
TIRANNIDIS TURCICAE, RESTITUTAEQUE IN HIS PARTIBUS
TRANQUILLITATIS, USQUE AD PRAESENS TEMPUS, COMMEN-
TARIIS HISTORICIS ILLUSTRATA

PER

Josephum Brüstle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

Tomus II.



Quinque-Ecclesiis.

TYPIS LYCEI EPISCOPALIS S. RAMAZETTER.

1876.

Parochia Földvár.

(Comitat. Tolna.)

12975.

Temporibus S. Regis Stephani in loco, ubi vastum oppidum Duna-Földvár hodie floret, humilis et exiguus vicus stetit, a Slavis inhabitatus, nomenclatione *Zemogny*, quod idem exprimit ac hungaricum „Földvár.“ Hic ad ripam Danubii posuit idem sanctus Rex anno 1009. primum limitem dioecesis Quinqueecclesiensis, uti sub initio hujus libri relatum est. Romanis exstitit hic loci castellum, quod axiomate „*Anamatia*“ venit, cujus valla et aggeres novissimis adhuc temporibus dignoscebantur.

Cum exitu seculi 12-i viguit percelebris abbatia Benedictinorum *S. Helenae de Földvár*, per regem Belam II. coecum (anno nobis ignoto) fundata, qui — uti quidam apprime dixit — oculorum defectum vigili cura, flagranti pietate, magnifica liberalitate, mira providentia, caeterisque virtutibus egregie sarsit. ¹⁾ Hanc abbatiam *S. Helenae* nomine insignivit fortasse ad perpetuandam *Helenae* reginae, conjugis suae pientissimae, in tam praeclaro opere memoriam. ²⁾ Fundationales hujus abbatiae Calanus episcopus Quinqueecclesiensis violenter occupavit,

1.) Czinár. *Monasteriolog.* I. 234. — 2.) idem.

et simul etiam suppressisse censetur, ut privilegium regium de exemptione monasterii annihilaretur; eapropter ad sedem apostolicam delatus, uti patet ex epistola Innocentii III. ad episcopos Vaciensem et Csanádensem, nec non ad abbatem Zirczensem exarata, sequentis tenoris: „Cum dilecti filii S. Abbas de Feldvar et magister Obertus nuntius Venerabilis fratris nostri Quinqueecclesien. Episcopi pro questione, quae vertitur inter eundem Episcopum et ipsum Abbatem, ad nostram praesentiam accessissent, nos eis dilectum filium nostrum G. sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Card. concessimus auditorem. In cujus audientia Abbas proposuit memoratus, quod cum esset in procinctu itineris ad Romanam Ecclesiam veniendi et supradictus Quinqueecclesien. Episcopus ad monasterium suum hospitandi causa venisset, privilegium, quod clare memoriae B. quondam Rex Vngariae super Ecclesiae suae libertate, concesserat, quam a jurisdictione prorsus Episcopi, exemptam esse proponit, et pecuniam, quam paraverat ad expensas itineris, illi abstulit violenter, ipsumque in quodam claustro Cisterciens. ordinis carceri mancipavit, ne posset vel ad Regem ire, vel Romanam Ecclesiam visitare. Subsequenter vero cum ad abbatiam suam eum dictus Episcopus remisisset, et coram Rege proposita super hoc querimonia, fuisset inficiatus se privilegium ejus et pecuniam accepisse, dictus Abbas, ut suis et Ecclesiae suae gravaminibus provideret, vocem ad nos appellationis emisit, et festum Sancti Lucae proxime praeteritum appellationi praefixit: quam appellationem licet Episcopus ipse admiserit, et promiserit se venturum in termino constituto, post multos dies in eum excommunicationis sententiam promulgavit. E contrario praefatus magister Obertus respondit, quod memoratus Episcopus pro eo, quod dictus Abbas super falsitate duorum privi-

legiorum apud eum accusatus fuerat et convictus, et crimen suum ore proprio manifeste confessus, eum non appellansem, nec contradicentem deposuit, et misit ad monasterium de Sicodor (Cikador) ad poenitentiam peragendam: de quo cum fuisset egressus poenitentia non peracta, monasterium de Felduar invasit per potentiam laicalem, et Ecclesiam quandam ad ipsum Episcopum pertinentem parochianis propriis spoliavit, Clericos ejus eiciens domibus propriis verberando. Super quibus cum pluries citatus fuisset, quia contumax apparebat, Episcopus eum excommunicationi subjecit; sed ipse post excommunicationem divina officia celebrare, et bona monasterii violenter rapere, ac dilapidare praesumpsit. Cum igitur dictus Card. nobis haec omnia retulisset, de consensu partis utriusque negotium ipsum vestro duximus examini committendum, et memoratum Abbatem ad majorem cautelam de benignitate sedis Apostolicae fecimus juxta formam Ecclesiae a vinculo excommunicationis absolvi. Verum quia Abbas ex duplici causa se proposuit injuste gravatum, quoniam et propter monasterii libertatem illius jurisdictioni non suberat, et propter appellationis remedium ab eo tutus esse debebat, cum super his nobis plena fides facta non fuerit, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super praemissis, et aliis, si qua forte alterutra partium duxerit proponenda diligentius veritate, si legitime vobis constiterit de libertate monasterii memorati, praefato Episcopo super hoc silentium imponatis ad ablatorum restitutionem, et privilegii maxime, auctoritate ipsum apostolica per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellentes, et reformantes in statum debitum, quicquid post recessum **Abbatis** circa monasterium inveneritis immutatum. **Alioquin** cum praedictum Monasterium in **Quinqueecclesien**.

diocesi sit constructum, ad exhibendam eidem Episcopo debitam reverentiam compellatis, et sententiam depositionis, quam idem Episcopus in praefatum Abbatem asseruit protulisse, nisi post appellationem ad nos legitime interpositam, vel ex alia causa constiterit inique prolatam, sicut rationabiliter lata est, appellatione remota faciatis inviolabiliter observari. Si vero post appellationem ad nos interpositam jam dictum episcopum in memoratum Abbatem condemnationis et excommunicationis sententiam inveneritis in contemptum sedis Apostolicae dictavisse, ipsum tamdiu nuntietis ab officio pontificali suspensum, donec super hoc per nos aliud fuerit ordinatum. Nullis literis obstantibus, praeter assensum partium, si quae apparuerint a sede apostolica impetratae. Quod si omnes etc. duo vestrum etc. Datum Laterani III. Kal. February“ (1199.) ³⁾

Qualisnam hujus judicii fuerit exitus, nullum hactenus repertum documentum testatur; certum tamen est, abbatiam a jurisdictione episcopi Quinqueecclesiensis reapse exemtam exstitisse, exemptionemque hanc tum abbatiae, tum parochiae Földvár usque ad annum 1776. perdurasse. Nihilominus exemptio haec seculo saltem 14-o interrupta et labefactata fuisse dignoscitur; nam occasione collectae decimae papalis in archidiaconatu Tolnensi situata parochia Földvár ad dioecesim Quinqueecclesiensem spectasse ac in indice parochiarum hujus occurrere legitur, utpote: 1333. *Stephanus Sacerdos de Feldumar*; et in altera hujus anni contributione: *Stephanus de Felduwar*; — 1334. *Stephanus de Fedwar*; et 1335. *Stephanus de Felduar*. Elenchus iste sacerdotis duntaxat, sive plebani Földvárensis facit mentionem, de abbate vero et abbatia altum si-

3.) apud Koller I. 306. et sqq.

let. Haec juris immunitatis laesio potuit usque ad exitum illius seculi perdurasse; cum etenim anno 1400. Joannes archiepiscopus Strigoniensis ecclesiae suae jus in exemtis locis a Valentino episcopo Quinqueecclesiensi impetitum fuisse experiretur, medelam huic laesioni adlaturus, ad sedem pontificiam confugit; in cujus sequelam Bonifacius IX. P. M. bullam ddo 1. Maji e. a. emisit, qua jus archiepiscopi in exemptas ecclesias confirmat, ubi inter reliqua haec dicuntur: „Dudum siquidem ad nostram notitiam deducto, quod de antiqua, et approbata, et haectenus pacifice observata consuetudine *Péchvaradiense*, et *Sexardiense*, ac de *Bata*, et de *Földvár* . . . monasteria sub omnimoda jurisdictione in Spiritualibus Archiepiscopi Strigoniensis pro tempore existentis pleno jure fore dignoscantur,“ etc. ⁴⁾ Exemptionem hanc Pius II. P. M. 1464. confirmavit. ⁵⁾ Honorius III. anno 1225. episcopo Vacienti et abbati Földvárensi mandat: ut monasterio S. Martini a rege Andrea II. satisfactionem super variis damnis procurare conentur. ⁶⁾

Anno 1494. Uladislaus II. R. H. abbatiam S. Helenae *) de Földvár Petro Várday, archiepiscopo Colocensi contulit sequenti decreto:

Nos Uladislaus Dei Gratia etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis; quod nos ad merita, et fidelis nostri Reverendissimi in Christo Patris, Domini Petri Archiepiscopi Colocensis, debitum, ut decet, Respectum habentes, considerando etiam extremam desolationem Archiepiscopatus sui, quam Ecclesiae suae, in Bonis et possessionibus per continuas Aemulorum vexationes, et depraedationes perpassae sunt, utut onera Regni, ad quae se semper prom-

4.) idem III. 220. — 5.) Czinár l. c. — 6.) ibid.

*) In decreto perperam habetur: „sancti Petri.“

tissimum exhibet, eo tolerabilius possit supportare, Abbatiam Monasterii Sancti Petri de Földvár ordinis Sancti Benedicti Dioecesis Quinque-Ecclesiensis, quam Serenissimus condam Dominus Mathias Rex praedecessor Noster Gloriosae memoriae praefato Domino Archi-Episcope Petro volente, et concedente venerabilis condam Paulus de Varadino frater germanus ipsius Archi-Episcope usque ad extremum vitae suae tenuisset, quae jam ipso condam Paulo ab hoc seculo migrante rursus ad ipsum Dominum Archi-Episopum, tanquam verum et legitimum ejusdem Possessorem reducta esset, vel etiam, si aliquo pacto vacaret, et ejus provisio ad Nostram Majestatem qualitercunque devoluta esset, autoritate juris patronatus nostri Regalis, quod in omnibus Ecclesiis Regni nostri instar Praedecessorum nostrorum Divor. Regum Hungariae habemus, denuo dedimus ei in commendam, ipsamque cum omnibus possessionibus, et juribus possessionariis, nec non jurisdictionibus, Proventibus, obventionibus, emolumentis, ac bonis temporalibus ipsius Abbatiae, volumus et volumus apud eum durante vita permanere. Quocirca vobis fidei nostro Reverendo in Christo Patri Domino Sigismundo Episcopo Quinqueecclesiensi, vel Vicario vestro harum serie praecipimus et mandamus, vosque requirimus, quatenus statim, dum cum praesentibus Requisiti fueritis, praefato Domino Petro Archi-Episcope, vel Procuratori ejus legitimo, ipsius Nomine, et Nemini alteri in commendam et gubernationem praefatae Abbatiae, prout juris est instituere debeatis, vel Vicarius vester teneatur. Secus non facturi praesentibus perlectis etc. Datum Budae in festo Epiphaniarum Domini Anno ejusdem 1494. — 7)

Abbatia haec juxta inventarium anni 1630. sequen-

7.) Koller IV. 467.

tes habuit possessiones: Duna-Földvár et Kömlöd pagos, et praedium Kér in comitatu Tolnensi, nec non alia praedia Akalás et Révfalu in Simeghensi, porro Karácson-Szállás, Kunfalu, Előszállás et Pázmánd in Albensi provincia. ⁸⁾

Abbatia haec, furente in his partibus Turca, eandem desolationis sortem cum reliquis ecclesiis ac coenobiis experta est. Cum vero Fridericus Scherfenberg, caes. bellidux 1686., capta jam Buda, ad expugnanda Quinque-Ecclesiarum moenia properaret, in Földvár duos dies commoratus, hunc locum incolis prorsus vacuum reperit; qui partim manu hostili abducti, partim dispersi in cavernis subterraneis miserandum in modum victitabant. ⁹⁾

Dum Heisterus copias Alexandri Károlyi ad Kis-Martonium profligasset, fugitivi pone Földvárinum trajecto Danubio, in adversa parte quaesierunt refugium. Monasterium in Földvár structura sua speciem arcis exhibens, tumultu Francisci Rákóczy per eum firmiter munitum exstitit, uti ipse in memorialibus suis memorat: „Interea A. Ep. Colocensis Paxum (Paks) venit oppidum, supra quod visitur in prostante tumulo vetus munimentum Romanum, dictum Földvár, seu arx terrea, quod ego operibus firmandum curavi, ut pro capite esset pontis, qui meo infortunio nulli mihi usui fuit nisi excipiendis ab exercitu C. Forgács fugitivis. ¹⁰⁾ Expost, videlicet anno 1705. castrum istud per caesareum militem possessum, Joannes Bottyán, ex humili genere belli acer et expertus dux, turbandae inferae Hungariae a Rákóczy praefectus, summa virium contentione frustra oppugnavit; nec nisi

⁸⁾ Rupp Magy. helyr. tört. I. 383. — ⁹⁾ Haas. Danielik, Eml. könyv II. — ¹⁰⁾ Memor. Rák. quarum etiam hungarica habetur versio: „Rákóczy Fer. Emlékiratai.“ Pest 1866.

educta inde ad Transylvaniam potiori militiae caesareae parte, occupavit. ¹¹⁾

Bona hujus abbatiae, post expulsum quoque Turcam per abbates possessa, 1769. universitati Tyrnaviensi, successive Budam, tum Pestinum translatae assignata sunt, quibus haec adusque sustentatur. Oportet hic loci nonnullorum meminisse abbatum, inquantum eorum nomina reperta, adeoque nobis comperta sunt:

I. Petrus Várday, archiepiscopus Colocensis, cujus supra fit mentio † 1501.

II. Georgius Vasváry, abbas de Sár prope Gyöngyös, et de Földvár; qua talis in synodo dioecesana 1629. subscriptus. ¹²⁾ Jam 1610. canonicus Strigoniensis, unaque parochus novae arcis fuit; qui 1614. ad capitulum Jaurinense transiit.

III. Georgius Szelepcsényi. (v. Recens. I. p. 424.)

IV. Nicolaus Posgay, anno 1630. Pazmanita pro parte a. d. Strigoniensis; qua abbas de Földvár et praeposit. Orodienensis habetur in synodo nationali 1648. subscriptus. Ab anno 1637. canon. Strigoniensis, subin praepositus major, et consecratus episcopus Scopiensis. † *Tyrnaviae* 1668. 18. Febr. Fundavit missas de immaculata concept. B. M. V.

V. Andreas Sebestyén, 1672. abbas S. Helena de Földvár, canonicus Posoniensis, postea episcopus

¹¹⁾ Wagner: Hist. Leop. item Haas l. c. — ¹²⁾ Péterfy II.

Transylvaniae, una praepositus Scepusiensis. † *Leucsoviae* 1683. 1. April.

VI. Jacobus Alexius Jaszlóczy, 1683, abbas de Földvár et canonicus Poseniensis, qui 1658. Vienne in collegio Pazmaniano theologiae operam navavit. † 1686.

VII. Stephanus Dolny, (v. Recens. I. 434 sub not.)

VIII. Franciscus Ladislaus L. B. Mednyánszky de *Medgyes*, anno 1707. canon. Strigoniensis, moxque abbas de Földvár; subin praeposit. major, episcopus Leocensis, ac suffraganeus archiepiscopi. Magnus benefactor ecclesiae Földvárensis. † *Tyrnaviae* 1733. 6. Dec. aet. 55. sepultus in ecclesia PP. Franciscanorum infra aram.

IX. Josephus Landgravius Hassiae-Darmstadt, princeps Hirschfeldae, comes in Katzenellenbogen, Dietz, Ziegenburg, Nidda, Schamburg Isenburg, Orüdingen, natus 1699. 23. Januar. *Bruxellis* in Belgio, cujus pater Philippus Landgravius Hassiae-Darmstadt ibidem 1693. religionem catholicam amplexus est, mater ipsi fuerat Maria Teresia, filia Ferdinandi principis de Havre et Eroy. Anno 1720. 9. Junii canonicatum *Augustae Vindellicorum* obtinuit; 1739. 17. Decemb. praepositus major, et mox sequenti anno 1740. 12. Junii episcopus ibidem nuncupatur. Penes suum episcopatum tenuit etiam canonicatus *Coloniae Agrippinae*, *Leodii* (Lüttich) et *Constantiae*, nec non abbatiam *S. Helenae de Földvár*. Sub eo 1752. 13. Maji solennis reliquiarum S. Udalrici episcopi translatio asservabatur. Praesul a pietate ac li-

beralitate multum celebratus vitam posuit *Augustae Vindellicorum* 1768. 20. August. aet. 69. sepultus ibi in cathedrali ecclesia, cor autem ejus in ecclesia S. Udalrici, ad introitum catacumbae hujus sancti depositum est.*)

X. Paulus Kovács, canonicus Magnováradinensis.

Antequam ad vitam pastorem hujus loci procedamus, expedit quaequam de monasterio patrum ordinis S. Francisci, provinciae, antea Bosnae Argentinae, nunc S. Joannis a Capistrano dictae, in oppido isto habito, proferre. Sub jugo ottomanico plures familiae catholicae nationis illyricae in, et circa Földvár inter graeci ritus homines dispersi vitam transigebant. Ad horum spiritualem consolationem, dum licuit, comparuit unus alterve patrum Franciscanorum, in insulae Csepel loco Tököle pro tempore domicilantium, qui seculari vestimento amicti (prout inter Turcas moris est) huc excurrentes, Christicolae doctrinae coelestis lacte nutriebant, pane angelico reficiebant, et aliorum sacramentorum administratione solatium eis praebuerunt. Anno autem 1700. quidam *P. Bernardus* huc appulit, qui sibi extra oppidum stationem fixit aediculamque sacram erexit, hunc excepit *P. Petrus Spaich*, cui successit *P. Franciscus Svetovich*, illyricam, hungaricam et germanicam linguam callens. Post hunc rursus redivit *P. Petrus Spaich*, quinque idiomatum gnarus. Cum vero hoc tempore incolae oppidi in dies augerentur, praefato patri Petro habitationem assignarunt primores oppidi in colliculo juxta antiquam castris turrim, quo in loco exstructo commodo sacello et tribus cubiculis, alius etiam sacerdos cum uno laico adjunctus erat. Succedens

*) communicat. ex dioec. Augustan.

vero *P. Gregorius Agich* qua praesidens, et oppidi administrator, ob multiplicatam gentem, alios tres sacerdotes sibi submitti petiit: adeoque anno 1724. jam sex religiosi hic loci numerabantur, qui succedentibus postea in cura animarum ecclesiasticis multiplici juvamine fuerant spirituali. Abbas Josephus de Darmstadt residentiam PP. Franciscanorum 1737. cum propria sua domo dominali permutare voluit; quod negotium in sequenti confirmante decreto regio uberius exponitur:

Nos Carolus Sextus. Dei Gratia electus Romanorum Imperator etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis. Quod pro parte, et in persona fidelium nostrorum Honorabilis et Illustris Josephi Landgravii Hassiae, Abbatis S. Helenae de Földvár, et Religiosorum Patrum Franciscanorum Provinciae Bosnae Argentinae, in Oppido Földvár degentium exhibitus sit Nobis, et praesentatus certus Cambialis contractus super Domo abbatiali per dictos abbatem, et PP. Franciscanos in libera et Regia Civitate nostra Budensi die 21. Martii, Anno 1737. celebratus, quo mediante idem Abbas modernam domum suam Abbatialem in praefato oppido Földvár habitam memoratis Patribus Franciscanis una cum proxime adjacente alia domo pro Residentia ac Templo extruendis cambialiter cessisse, et per manus tradidisse; e converso vero iidem Patres Franciscani actualem Residentiam in eodem Oppido Földvár existentem praedeclarato Abbati, et futuris in Abbatia successoribus pro aedificanda Abbatiali Residentia pariter in perpetuum cessisse, et tradidisse dignoscebantur. Supplicatum itaque exstitit Majestati nostrae nomine, et persona praelibati Abbatis debita cum instantia humillime: quatenus nos praescriptum inter eundem Abbatem, et memoratos PP. Franciscanos initum Cambialem con-

tractum seu permutationem pro majori robore, et firmamento clementer ratihabere, et tam pro ipso nunc superstitute Abbate, quam et futuris ejusdem in Abbatia successoribus clementer confirmare, et ratihabere dignemur. Cujus quidem Cambialis contractus, seu permutationis inter dictos Abbatem, et Patres Franciscanos celebrati tenor talis est. Nos infra etiam scripti, ab una quidem: Nos Josephus Landgravius, Sacri Romani Imperii, et Hassiae Princeps a Darmstadt, tamquam abbas S. Helenae de Földvár in Ungaria, Patribus autem ab altera, R. P. Stephanus Villoy, actualis Diffinitor, Ord. Min. Regularis Observ. Prov. Bosnae Argentinae, R. P. Augustinus Benkovich, actualis Guardianus Conventus Budensis, et M. V. P. Laurentius Hajas Praesidens actualis Residentiae Földváriensis, assumptis ab utrinque oneribus successorum nostrorum, et aliorum quorumlibet, quos videlicet negotium praesens, nunc, vel in futurum tangeret et concerneret, vel tangere et concernere quoquo modo posset, praesentibus recognoscimus, et damus pro memoria: Nos hujusmodi Cambialem inivisse contractum, et Quidem: Nos Praefatus Princeps tamquam (ut praemissum est) Abbas Földváriensis serio perpendentes animo, quam salutare sit, Pastorem apud Oves manere, statueramus firmiter in repetita Abbatia Földváriensi clementer nobis collata donec alia supervenerit Regia dispositio, tempus nostrum transigendum fore. Proinde cum Abbatialis Residentia in Földvár nulla foret, utpote dudum dosolata, nec a tempore felicitis ab hoste recuperationis restaurata; illa vero Domuncula Dominalis, in qua prius Provisori nunc autem ipsimet Abbati residere necessum est non solum ab Ecclesia Abbatiali procul sita, sed etiam adeo vilis et exigua foret, quod duntaxat tria dentur cubilia, consequenter neque

pro Nobis ipsis, neque famulatio domestico necessario, tanto minus pro advenis, seu intervenientibus sufficeret commoditas, quo in defectu partim nos ipsimet cum familia praelibata in angusta, et exigua commoditate coartari, partim autem quosdam ex Familiaribus et domesticis nostris in extraneas, et quidem Rusticanas domos distribuere et illocare necessitaremur; quorum utrumque characteri nostro spirituali, quam et statui nostro nativo inconveniens esset. Imo nec hospitalitatem officiosam, charitatemque Christianam erga intervenientes, praedecarata in exigua commoditate exercere possemus. Hinc de Residentia solliciti ut quo citius Residentiam adipiscamur, infra declaratum Cambium ineundum esse duxeramus, utpote praefatam Abbatialem modernam domum, quam videlicet alioquin prius, dum nimirum Abbates praedecessores nostri remotioribus in Civitatibus ex officiis fuissent constituti, duntaxat Oeconomus Officialis, notanter Provisor inhabitasset, praefatis RR. Patribus, una cum proxime adjacente domo, pro Residentia et Templo extruendis, cambialiter cedimus, et per manus tradimus, tali nempe terrenali cambio, ut eorundem Franciscanorum modernam Residentiam Abbatialem Dominalem domum, atque Residentiam pro nobis successoribusque nostris, ac domesticis formare, ac inhabitandi et possidendi causa ingredi possemus; cum alioquin etiam Turris quaedam antiqua ibidem extans non solum magnae commoditati et utilitati foret, sed etiam pro quodam hujus loci conservatorio deserviret. Similiter nos quoque antefati Patres, consequenter cum toto venerabili diffinitorio praefatae Provinciae, omnesque, quorum interest, Cambio consentientes, modernam Residentiam nostram praetitulato Principi Abbati, et futuris Abbatibus Földváriensibus perennialiter cedimus, transferimus assignamus et per manus

tradimus, in Abbatialem domum formandam, ac usuandam; sperantes indubie, quod Serenissimus ac Reverendiss. Dom. Princeps Abbas, in quantum moderna Residentia nostra Franciscanorum, cubiculis, combiatam Abbatialem Dominalem domum superaret, in tantum pro servanda aequalitate, ad aedificandum concurrere succurrereque dignabitur. Super cujusmodi Cambio, cambialique permutatione praesentes nobis invicem dedimus manuum proprietarum subscriptionibus, et usualibus sigillis nostris roboratas literas testimoniales contractuales *Budae* die 21. Martii 1737. (L. S.) *Josephus Landgravius Hassiae*, Abbas Földváriensis. (L. S.) Ego *Fr. Stephanus Villov* Lector Generalis et diffinitor actualis, confirmo ut supra. Ego *Fr. Augustinus Benkovich*, p. t. Guardianus. *Ego Fr. Laurentius Hajas*, Praesidens p. n. Residentiae Földváriensis. Nos itaque humillima supplicatione pro parte memorati Abbatis, nostrae, modo, quo supra, porrecta Majestati, Regia benignitate exaudita clementer, et admissa, praeinsertum contractum cambialem, seu permutationis, non abrasum, non cancellatum, neque in aliqua sui parte suspectum, sed omni prorsus vitio et suspitione carentem praesentibus Litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione, vel augmento aliquali insertum et inscriptum, quoad omnes ejusdem continentias, clausulas et articulos eatenus, quatenus idem rite et legitime extitit celebratus, viribusque ejusdem veritas suffragatur, ratum, gratum et acceptum habuimus, approbavimus, et ratificavimus, proque saepe dicto Abbate perpetuo valiturum gratiose confirmavimus; imo acceptamus, approbamus, ratificamusque, et confirmamus (salvo jure alieno) harum nostrarum secreto Sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur impulsive communitarum vigore et testimonio Literarum mediante. Datum in Civitate nostra

Vienna Austriae die 27. mensis Augusti, Anno Domini 1737. Regnorum nostr. etc.

Carolus.

(L. S.) Ludovicus de Batthyán.

Petrus Végh. ¹³⁾

Anno sequenti archiepiscopus quoque Strigoniensis, ut ordinarius abbatiae ac loci hujus, auctoritate sua confirmat cambialem hanc conventionem, uti patet ex his

Nos Emericus etc. Honorabili in Christo Fratri Patri Thomae Jelle, Ord. S. Francisci, Residentiae Földváriensis Praesidenti salutem, et Paternam Benedictionem. Humillimis precibus tuis, quibus Nos debita cum instantia requisivisti, ut Accordam Cambii, seu permutationis inter Te ab una, ac Serenissimum et Reverendissimum Principem Dominum Joannem (corríg. Josephum) de Darmstatt, Abbatem Földváriensem partibus ab altera initam, qua ejusdem Serenissimi Principis Sedes sua Residentialis in locum, in quo Residentia tui ordinis existit: Residentia e converso praedicti Ordinis in locum, ubi nunc Domus Dominalis haberetur, transferri possit, benigno suae Majestatis Sacratissimae consensu munitam, Autoritate nostra Archi-Episcopali Ordinaria confirmare dignaremur, benigne inclinati, perlibenter concedimus: ut tam praedicta Accorda quamprimum effectui mancipari possit, quam vero ex post Divina, uti hactenus, in priori loco, ita in illo quoque peragere futuris semper temporibus Tu, ac successores Tui (salvis tamen per omnia Juribus Parochialibus) valeatis. In quorum fidem praesentes Nostras Sigillo Officii Nostri, et manus subscriptione firmatas dedimus, et extradamus. Posonii ex Curia nostra Archi-Episcopali die

13.) Ramus viridant. Oliv. — prout et reliqua documenta monasterium concernentia.

15. mensis Maji, Anno Domini Millesimo septingentesimo trigesimo octavo. (L. S.) Fr. Emericus.

Adhuc eodem anno datur patribus facultas primum ecclesiae lapidem imponendi hisce ordinibus: Admodum Reverende, ac Religiose in Christo Pater Superior Colendissime! Intuitu petitae facultatis ponendi primum lapidem in nova Ecclesia vestrarum Paternitatum Residentiali Földvárini aedificanda, Cambialiter etiam Suae Celsitudinis Archi-Episcopalis consensu accedente translata: altifata sua Celsitudo benigne annuit, ut praedictam functionem positionis primi Lapidis, remoto tamen omni caeteroquin praejudicio, ipsa Paternitas vestra Adm. Renda peragere possit, quae dum ex benigna commissione Celsissimi Principis notifico, persevero A. R. P. Vestrae servus obligatissimus Joannes Smidt Vener. Capit. Posoniensis, p. t. ad latus S. C. Canonicus. Posonii 10. Julii 1738.

Praedicta residentia ecclesiam 1750. in perfecto statu habens aedificatam, axioma conventus obtinuit. In ecclesia ara major Sanctae Matris Annae honoribus dicata erat; et praeter hanc erigebantur a parte evangelii arae: B. M. V., SS. Crucifixi, et Seraphici patriarchae divi Francisci; a parte epistolae S. Joannis Nep. S. Joseph, et S. Antonii de Padua. Anno 1770. totus conventus cum nitida ecclesia, sibi adjuncta, jam stetit, regio decreto 1788. confirmatus.

In hoc coenobio anno 1814. guardiani munus gessit *P. Emericus Huszti*, vir integerrimus, ab humilitate, nec non castimonia vitae conspicuus; qui superioribus annis Jerosolymas profectus, in terra sancta pro tempore missionarium egit. Inde reversus concionatoris in diversis locis officium explevit, ac demum guardianus hujus conventus electus, qua talis 1815. 21. August. beato fine

quievit, in crypta religiosorum sepultus. Accidit, ut demortuo 18. Nov. 1872. P. Rocho Nagy in eadem crypta pro sepulchro locus parari, et antiquissimus forulorum juxta ordinem aperiri deberet. Sors tetigit sepulchrum praefati Emerici Huszti, quo aperto corpus integrum et incorruptum adinventum est, manus et pedes flexibiles, surae molles reperiabantur; corpus, nullum spargens odorem, cinereum quidem induit colorem, attamen adhibita modica lotione pellis alba apparuit. Spectatis his incorruptionis indiciis corpus pie defuncti loculo repositum de novo obmuratum exstitit. Eventum hunc gloriae Seraphici Ordinis propagandae cupidus, eidemque ordini semper gratus *Franciscus a Paula Troll*, abbas, canonicus cantor cathedralis ecclesiae nostrae, sequenti honoravit epitaphio:

*1915. mense Octobri corpus canonicè visitabatur
sin corde et exsiccatum inventum est. G. Ferdli*

Dux fuit Hungariae sanctus felix Emericus, *manibus tradidit*
Laus Regis Stephani, virginitatis honos. *tempo Oracsiensis*
Hunc imitatus erat praestans Emericus et iste, *vide Historiam*
iste, domus

Huszti qui dictus, liliger, ingenuus.

Missio sacra cui placuit, Dominique sepulchrum

Qui Solymis visit, praedicat hic tacitus:

Quod virtus humilis reticet, lapides modo clamant

Ejusdem tumuli prodigio celebris.

Svaviter angelico Sanctorum Pane refectus

Viribus increvit corporis ac animi.

Paupertas, simul obsequium, mens casta pararunt

In coelis illi gaudia summa, decus:

In terra candore micans viget integer hucdum

Flexibilis membris corporis innocui.

Siste viator! ave, nihil est, ut cernis opertum;

Cuncta revelantur, gloria laus humili!

Regula Seraphici Patriarchae, vita Minorum

In Christo Fratrum, sic celebrantur. Amen.

Quod pastoralem hujus loci attinet vitam, prima se nobis uberius disserendi praebet occasio de anno 1732. quo Sigismundus Berényi, episcopus Mallensis, metropol. capituli Strigoniensis cantor canonicus, hanc et alias per regnum parochias exemptas visitaverat. Quae visitator prae-libatus de parochia Földvárensi consignaverat, in nucleo ad sequentia redeunt:

Ecclesia honori S. Helenae dedicata, est ab Illmo Dno moderno Abbate (Franc. Lad. Mednyánszky) magnis impensis ex fundamentis erecta, ac inter primarias regni hujus Basilicas jure merito reponenda, tota sub fornice. Aras admodum elegantes, ac magnifico aedificio pares habet tres, in quarum singulis, tribus mappis mundis decenter contactis, super portatili celebratur. Ecclesia una cum altaribus per memoratum ecclesiae hujus praesulem suo tempore, et data opportunitate consecrabitur. *) Sacristia ampla et lucida est sub fornice; cathedra, chorus et sedes de ligno. Larga fuit supellectile jam eotum instructa haec ecclesia, quam abbati suo cumprimis in acceptis referendam habuit. Provisa fuit ostensorio argenteo novo, inaurato, item cupreo, aequè inaurato; calices argenteos inauratos habuit tres cum totidem patenis, cupreum inauratum unum, et tale ciborium, pacificale argenteum inauratum, in quo particula S. Crucis inclusa est; ampullas cum pelvi ex argento. Casulas 6. novas diversi coloris, et 4. antiquiores, pluviale novum, et varias vestes albas, quae omnia (uti visitator refert) munde asservantur, nec quidquam lacerum aut confractum erat. Campanae benedictae in turri erant quatuor; fons baptismalis lapideus eotum in opere fuit.

Rector scholae erat eo tempore *Michael Szent-Ivá-*

*) Immitis libitina pium hoc munificentissimi patroni conamen praepedivit.

nyi qui elicita coram visitatore fidei professione, habuit 60. discipulos. Numerus autem animarum hujus oppidi erat 1401. omnes orthodoxae fidei catholicae; de quibus dicitur: quod sint devoti, ac diebus etiam feriatis in ecclesia frequentes, praecepto confessionis paschalis satisfaciant ac festa decretalia observent. Adfuit in loco etiam confraternitas cordigerorum sub cura PP. Franciscanorum, per quos secundum proprias regulas et statuta gubernabatur.

De his religiosis refertur: eos domum habere sat commodam cum 4. cubiculis, in uno autem separato divina peragi sine ullo praejudicio aut laesione jurium parochialium.

Dicit porro visitator: exstat antiquae abbatialis ecclesiae sanctuarium sine omni divino servitio, hic et nunc clausum, cui adjacet coemeterium, fidelium sepulturae destinatum, brevi tamen penes ecclesiam noviter erectam, ubi muro cincta fuerit, fidelium corpora tumulabuntur.

Prima ex parte nostrae dioecesis visitatio canonica in parochia Földvár 18. Sept. 1776. asservabatur per Andream Országh, auxiliarem episcopum; ex qua nonnulla connotari debent. Visitator partim praecedentibus, partim committantibus equitibus incolis Földvárensibus, qui eundem in praedio Kömlöd jam praestolabantur, sub horam 10. matutinam oppidum ingressus, a parcho et populo qui cum cruce et vexillis obviam processerunt, in foro inter tubarum clangores, tympanarumque sonitum exceptus, in strato tapete pacificale a parcho sibi porrectum deosculatus, ecclesiam versus deductus est. Ante fores ecclesiam pontificia de incorporatione parochiae perlecta, et populo hungarico idiomate declarata est. Dein visitator benedicto juxta praescriptum pontificalis Rom. populo ecclesiam ingressus, audito missae sacrificio, animas

fideliū defunctorū absolvit, et visitationem canon. inchoavit. Ara major etiam tum iconem S. Helenae elegantem exhibuit, quae successivis annis cum nova quidem, ast infelicis penicilli, (ut quidem aprime ait*), inventionem S. Crucis repraesentante, commutata est. Dolendum de antiquo septem saeculorum titulo, tam facile dimisso, ac in gratiam deformioris iconis immutato, cum tamen sub illo praeclarae hujus abbatae fama in toto regno divulgata esset. Praeter aram majorem habuit ecclesia unam lateralium ad cornu evangelii in honorem scapularis B. M. V. de monte Carmel, alteram ex adversa parte S. Mariae, Reginae Angelorum de Portiuncula extructam. Habuit haec ecclesia vineam 4. fossorum, post mortem cujusdam eremitae *Jacobi Zonkup*, ab intestato decedentis, qui eam in monte calvariae cum adjacente domuncula possederat, ad iteratas parochi Ludovici Cillich preces cessam. Cum vero decima ex hac vinea, volente sic consilio regio, annue desumta fuit, vix aliquid emolumentum accessit ecclesiae. Hac de causa suprafatus visitator svadet ut potius vinea vendatur, et percepta summa foenori detur; quod etiam anno sequenti, vendita 65. finis vinea in effectum deductum est.

Földvár habuit sibi ingremiata praedia, tamquam filiales, nempe Kömlőd et Keér; prius ob nimiam distantiam potius per parochum Paksensem administrabatur cum proventu stolari. Siquidem autem spectatis fatigiorum oneribus hoc pro conveniente mercede reputari haud posset, determinatum fuit in hac visitatione: quod singulum par, quorum 25. erant, ad conformitatem oppidi Paks amodo parochi competentiam suam extradare debeat; et praedium Kömlőd propter exiguam distantiam parochiae Paks adjectum est.

*) Czinár l. c. sub not.

Ludimagister in Földvár erat unicus, nempe *Stephanus Homolay*, qui hac occasione professionem fidei fecit. Habuit a communitate oppidana 100 fl. ea cum obligatione: ut praeceptorem tam hungarici quam germanici labii habeat et servet, quo autem passim caruit, cum magno defectu pubis scholasticae. Injunctum est ei idcirco hac vice serio ac nervose, ut obligationi suae amodo magis satisfaciat. Animae cathol. erant eotum 4490. schismaticorum 35. acatholicorum 227. Postquam parochia Földvár pro tunc districtui Tolnensi ingremiata exstitisset, collatum est isthic sacramentum confirmationis.

Non multo post, nempe 1783. dum episcopus Eszterházy totam lustraret dioecesim, visitata est denuo parochia Földvár, tunc parcho hic existente Elia Ignatio Paffán; qui plurima, visitaturo episcopo substernenda, connotavit, ex quibus nonnulla isthic reddantur: turrim ecclesiae abbas Josephus a Darmstadt excitari curavit, quae 1757. 26. Maji fulmine ruinata fuit. Area ecclesiae, in qua ante nupernas ordinationes caes. regias defuncti erga taxam sex florenor. tumulabantur, muro cincta est, et ad eam cincturae partem, quae orientem, Danubiumque respicit, erecta est domuncula, ad quam ex area porta patet, ad quam calvariae, aliaque demortuorum ossa, si juxta priorem morem eruebantur, reponi solebant. Cum ecclesia in editiori loco sita est, ad eam per 30. et amplius gradus, ex tegulis, sat jam attritis, congestos conscenditur. Haec ecclesia habet in longitudine 16. in latitudine 5. orgias; ecclesia vero PP. Franciscanorum, quae a parochiali circ. 400. passibus distat, eandem cum hac habet longitudinem, lata autem est 6. org. sub utraque ecclesia habetur crypta, fornice firmata.

Patronus est impraesentiarum (notat parochus) excels. camera c. r. h. aul. ad quam administratio proven-
tuum abbatialium, alias intertentioni reg. universitatis
Budensis destinatorum, devoluta est, posteaquam notabili
tempore dominium hoc post fata ultimi abbatis per exc.
consilium r. loc. administratum fuit. Fundamentum juris
patronatus in eo structum esse videtur, quod piae mem.
Abbas Ladislaus Mednyánszky et fundum ecclesiae, do-
mumque parochiali attribuerit, et ecclesiam impensis suis,
sine ulla tamen dote, aedificaverit. Patronus in usu praesenta-
tionis reipsa est, siquidem etiam modernus parochus erga
praesentam exc. consilii, quod tunc jure administratio-
nis potiebatur, investitura gaudeat. Patronus in quantum
experiri licuit, officium suum non implet, cum ecclesia
tegulas etiam, si quando pro necessariis reparationibus
opus habet, parato aere ab ipso patrono emere debeat.

In oppido praeter memoratas ecclesias parochialem et
conventualem exstant adhuc duo sacella publica primum
SS. *Sebastiano, Rocho* et *Rosaliae* dicatum, longum 6.
latum 3. org. postquam pestis cessasset 1743. ab oppi-
danis e bonis materialibus erectum e voto, autoritate
Michaelis Frievaisz vicarii generalis Strigonien. per *Cas-
parum Ipolyi* parochum benedictum. Sacellum hoc in
statu bono conservatur per oppidanos, uti 1743. 4. Mart.
voverunt, et semet obligarunt. Celebratur in eo festis ho-
rum trium sanctorum, feria 3. rogationum, et quando
nundinae circa idem sacellum asservantur. — Alterum
sacellum est *S. Joanni Nepom.* sacrum, 1763. per Joan-
nem Magyar incolam oppidi, annuente Francisco Berch-
toldt vic. gen. aequae Strigon. e bonis materialibus aedi-
ficatum, et a *Ludovico Czillich* p. t. parochi benedictum.
Ignatius Paffán parochus suo tempore ordinavit, ut oc-
casione processionum festis SS. Trinit. et Nativit. B. M.

ex voto annue duci solitarum, in hoc sacello sacrum decantetur, cum hoc antea ad statuam SS. Triadis sub dio fieret. Exstat tertium etiam sacellum exiguum, similiter S. Joannis Nep. ad Danubium 1773. per incolas oppidi Josephum Forster, Georgium Ruff et Josephum Breitenberger excitatum. In hoc missa non celebratur, sed privatae duntaxat nautarum et populi praetereuntis devotioni deservit. Demum novissimis annis agente plurimum *Emerico Radnich* parochi in *Ercsi* dioecesis Albaregalensis, successive ejusdem capituli canonico, constructum est sacellum *S. Crucis* in coemeterio in meditullio oppidi sito. Sacellum hoc crypta provisum, in qua sibi laudatus benefactor sepulturae locum elegit, majori ex parte ejusdem expensis exsurrexit, contribuentibus in hunc scopum quoque obulos suos ipsis civibus oppidanis.

Antiqua domus parochialis per oppidanos erecta fuit, notabiles expensas suppeditante parochi illius temporis *Stephano Lakics*, super solida fundamenta ex crudis materialibus. Oppidum eam conservavit non ad decorem, sed ad necessitatem, ne corruat. In ea una cum angusto coenaculo habebantur 5. cubacula. Modernae aedes e regione templi per dominium novae ad contignationem elevatae sunt annis 1805. et sequenti. Exorto 25. Junii 1858. ingenti vulcano, flamma vehementiori vento boreo agitata majorem partem oppidi devoravit, et ipsam ecclesiam parochialem in cineres redegit, salva manente curia parochiali.

Cum jam ordo deposcat, ut sacerdotes hic loci sacra exercentes recenseantur, praevis fatendum est: primorum quidem nomina, non autem tempus functionis pastoralis ubique innotuisse; hinc quoad chronologiam circa initium manca apparebit

Series pastorum :

I. Michael Tarkovics,*) alumnus fuit 1695. archidioecesis Strigoniensis in collegio Pazmaniano *Viennae* sacratoribus disciplinis occupatus; inde egressus mittitur 1699. ad *Földvár* curator animarum, quem exiguum eorum gregem ad annum usque 1703. pastorali sua sollicitudine amplexus, eodem anno revocatur, obtento postea (num immediate? ignoratur), stallo in capitulo Poseniensi, in quo 1725. custodiatum gessit, titulo abbatis **B. M. V.** de Scepusio decoratus. Hoc eodem anno a quibusdam requisitus sequens exaravit testimonium: Ego infrascriptus praesentium tenore authentice notifico, quibus expedit, quod dum anno 1699. ad iteratas humiles instantias Perillustris ac Generosi **D. Tricesimatoris Földváriensis**, ac aliorum Catholicorum Oppidanorum, omni spirituali solatio longo tempore destitutorum, ab Illustr. ac Reverendiss. **D. Stephano Dolnyi**, qua pro tunc Abbate Földváriensi expetitus, ab Eminentissimo ac Celsissimo Principe Cardinale Archi-Episcopo **Kolonics** destinatus, ejusdemque mandato, ab ipsius Vicario Generali Illustr. ac Reverendiss. **D. Paulo Balassa**, pro parochiali munere investitus Földvárinum venissem, nullum ibidem Parochum, nec Ecclesiasticum, nec Religiosum repererim, sed nec aliquam Religiosam domum, aut habitationem ibidem extitisse, praeterquam schismaticorum Calugerrorum videre, vel nosse potuerim. Et cum nec Parochialis Residentia ulla, vel ejus vestigium haberetur, in fundo Residentiae Abbatialis ad *Turrim* erat quaedam domuncula exigua, ab aliquo plebeo homine erecta, et

*) Emericus Pavich in „Ramo virid. oliv.“ erronee scribit hunc *Tankovics*; — prout etiam inferius occurrentem *Franc. Cvetovich* perperam nominat *Evetovich*. *Nomen eius fuit Cvetovich.*
P. Ferdinandus Kaiser.

inhabitata, quam ab eodem per Dominos Officiales exsolutam, et mihi consignatam ac post aliquantulum melius accommodatam, habui pro Parochiali Residentia, donec Földvárini mansi. Anno deinde sequenti venit illuc quidam *P. Bernardus*, Ordin. S. Francisci Bosnensium qui sibi extra Oppidum selegit fundum pro habitatione, in quo parvam Aediculam pro Capella, et alteram pro habitatione erexit, et ibidem mansit; me autem anno 1703. inde discedente, quid postea factum, de hoc nihil ad me. In quorum fidem apposito sigillo proprio, me subscribo. Posenii die 6. Septembris Anno 1725. (L. S.) Michael Tarkovics, Abbas B. M. V. de Scepusio, Can. Poseniensis et Custos. *)

II. P. Petrus Spaich, ord. S. Franc. provinc. Bosnensis.

III. P. Franciscus Cvetovich, ejusd. ordin. et provinciae. Obiit *Bajae* 14. Januar. 1747.

IV. P. Petrus Spaich, qui supra. † *Budae* 16. Mart. 1741.

V. Andreas Patay, e clero seculari archidioecesis Strigoniensis, qui philosophiam et theologiam polemicam *Budae* audiens, 1716. presbyterum induit, parochiae *Földvár* illico admotus. Post triennium clero Quinqueecclesiensi incorporatus parochiam in *Sz. Király* regendam suscepit, inde postmodum ad *Kövágó-Szöllös* translatus.

*) Ramus viridant. olivae. part. II. pag. 367. — Num dignitarius iste amplius promotus extiterit? vel quando fatis concesserit? — incassis meis iteratis requisitionibus, Posenium directis, nullumque reponsum ferentibus, determinari nequit.

VI. Petrus Vajay, ejusdem archidioec. sacerdos, qui anno 1719. isthic comparuit, et vernali anni 1721. tempore ad *Szklabonya* discessit ut parochus. Ulteriora ejus ignorantur.

VII. Mathias Domsics, de quo plura comperta habentur. ¹⁾ Vita donatur 1691. 12. August. in possessione comit. Sopron. *Körtvélyes*, in ejate ecclesia parochiali baptisatus. Pagus iste ad dominium Köpcsényense spectabat, ubi ejus parens aliquot sessiones colonicales titulo hypothecario tenebat a familia Listhiana. Ad gymnasium Posoniense 1702. studiorum causa deductus, ea ibidem sequenti biennio continuavit, verum 1705. rebelles, qui jam duobus abhinc retro annis insurrexerunt, civitati omnem exterorum aditum praecluserunt; idcirco ibi caristia et rerum necessariarum penuria vexatus, ob inedia ac in tanto frigore vestium defectum, extrema passus est, sed in his angustiis illum comitissa Joannis Pálffy generalis relicta sublevat, de victu vestituque providit, atque cum filiis suis Carolo et Nicolao studia exercere jussit, cum scholae clausae fuissent. Tandem dissipatis tantisper rebellibus, per parentes domum reductus semet arithmeticae impendit. Apertis 1707. scholis syntaxin frequentavit, et absoluta altero anno poësi, cum pestis et fames in dies cresceret, per diversosque anno 1709. comitatus propagaretur, neque per quinquennium ex integro exstingveretur, diversorum interea magnatum aulas frequentavit, diversas captans tum juridicas, tum oeconomicas in rationariis experientias. Defuncto 1711. Josepho imperatore ac rege, pax cum rebellibus inita promittebat quidem laetiora tempora, nisi pestis in pluribus locis saeviens publicum

1.) Juxta autobiograph, in archivo secreto capituli Quinqueeccles.

diffunderet metum, et sic ipse de neglecto studiorum tempore summam concepit tristitiam. Subsecuta 1712. coronatio Caroli imp. et regis totum regnum in urbem Posoniensem contraxit, ipsum vero plurimorum notitia a studio retraxit: dum enim aliis inservire conabatur scribendo et commissiones exequendo, seipsum multum negligebat. Ultra quam haecenus grassabatur 1713. pestis, comitatus, Austriae vicinos, ipsamque Austriam pervasit; in qua calamitate charissimam genitricem die 12. August. amisit. Nec minime delectabatur coronatione Elisabethae reginae, Posonii 1714. celebrata, sed potius angebatur ob tempus sine fructu studiorum perditum, licet perpetuae recreationi fuerit simile, excepta infirmitate gravi, quam anno priori in autumnno pertulit, ac ideo tota fere hyeme subsequente languidus haesit. Perpensa igitur diversi status conditione, die 10. Nov. e. a. in seminario S. Emerici Posonii clericum induit, atque neglectum studium avidius resumens rhetoricam persolvit.

Die 15. Sept. 1715. suscepit confirmationis sacramentum cum quatuor minoribus ordinibus, (pro archidioecesi Strigoniensi destinatus,) ab archiepiscopo et cardinale Christiano Augusto de Saxonia, in Maria-Thalensi capella S. Annae. Die 26. Octobr. descendit Budam ad studia philosophica, alumnatum continuaturus in seminario Szécsenyiano. Absoluta cursu biennali philosophia, ejus theses 19. Julii 1717. defendit, exposit 10. Octobr. Tyrnaviam demigravit ad seminarium Szelepcsénianum pro perficiendis studiis theologicis. Ibidem in ecclesia S. Nicolai 4. Martii 1719. suscepit subdiaconatus ordinem e manibus episcopi Tinniniensis Georgii Ghillányi; diaconus ab eodem ordinatur 3. Junii, presbyter autem 23. Sept. e. a. Deinceps celebravit 22. Octobr. Galánthae primitias in ec-

clesia exteriore parochiali; quibus peractis 4. Nov. regreditur Tyrnaviam ad proseguenda studia.

Anno 1720. accepit investituram pro parochia *Szklabonya*, in cottu Neogradensi, quo 17. Nov. appulit, reperiens parochiam bonam, populum obedientem et bene affectum. Sed 1721. evocatus ad parochiam *Földvár* in cottu Tolnensi situatam, discessit ex *Szklabonya* 8. Maji e. a. populo tristanti valedicens. Versus finem ejusdem mensis comparuit in *Földvár*, invenitque populum, sicut ex pluribus nationibus conflatum, ita mutuis discordiis divisum. Dolebat primos deseruisse auditores, licet non proprio inductus appetitu, sed ordinarii obediens dispositioni huc venerit; attamen non considerata hac superiorum ordinatione, mutatio haec *Földvárensibus* nequaquam placuit, neque illis sat erat discrepari inter se, imo et cum parochio disconvenire identidem laborarunt. Pertaesus itaque tot ingratitude, non modo parochiae, sed etiam dioecesi terga vertit, et resignata novo successori parochia, 1726. ad dioecesim *Quinqueecclesiensem* se recepit, accepta 9. August. parochia *Tamási*, cum filiali *Iregh*. Ast in *Tamási* praefectum dominalem nonnihil superciliosum et brutalem sentiens, esto sibi qua parochio *Tamásiensi* officium quoque vice-archidiaconi adnexum haberet, ne tamen cum bruchio (ut ait) certaminis daretur occasio, neglecta hac parochia, reservato tamen munere vice-archidiaconali, in sua filiali *Iregh* consedit, quam indultu vicariali, additis pagis *Tengőd* et *Kánya*, in parochiam erexit, at populum habuit modicum et alendi parochi incapacem.

Sublatis 1727. e dioecesi *Strigoniensi* dimissionis impedimentis, die 10. Januar. expeditas literas dimissoriales in plena forma accepit. Sic itaque 1728. e parochia *Ireghensi* transire jussus ad comitatum *Baranya*, ad initium Martii parochus in *Hosszu-Hetény* instituitur, die 12.

August. ejusdem comitatus v. a. d., die vero 17. Sept. e. a. canonicus Quinqueecclesiensis resolutus, 21. ejusd. mensis Sept. canonicè installatus, parochiam in Hetény ultra retinuit, cum non inveniretur, qui eidem succederet. Mox sequenti anno parochiarum catholicarum visitationem in hocce cottu peregit; et mense Majo 1730. fidelibus suis in Hetény valedicens contulit se *Quinque-Ecclesias* pro residentia in capitulo incipienda, ubi ei mense Septembri cura parochiae civicae conceditur, quae (prout dicit:) utinam ipsi collata non fuisset, cum ob hanc a dextris et sinistris lividos invidorum oculos experiri debuerit.

Renovata 1732. causa divisionis bonorum inter seminarium et cathedralem, fatetur: „Hoc fuit initium dolorum meorum, et perpetui episcoporum odii. Deus, qui omnem motum meum observavit, erit iudex inter me et ipsos. Ex subsecutis hujus causae, et in me devolutis mille laboribus, nihil pro mea privata persona inde retuli praeter perditionem pretiosi temporis, jacturam rei domesticae, et enervationem privati aerarii.“ — Die 26. Julii 1733, in officio vicariali fuit substitutus; et eapropter resignavit anno insequenti parochiam Quinqueecclesiensem, conscientiae ducens: quod personaliter invigilare non posset ob continuam fere in causa praemissa absentiam, et alia connexa impedimenta. Mense Majo 1737. impositum est ei officium vicarii generalis, et 14. Sept. e. a. in stallum custodis introductus est. Anno 1738. Romae cum episcopo una cardinale Alvaro Cienfuegos constitutus, huic statum dioecesis nostrae exposuit. — Prosequitur de se: „Anno 1739. cum duos haberem episcopos, unum Romae ordinarium, alterum subordinarium Posonii, contrarios inter se, qui de instituendo consistorio, ipsi obligationi episcopali summe necessario, foverent altercationes; et inde

nulla consistorii institutio sperari posset, officium vicariale deposui.“

Annus septimi septennarii ultimus, nempe 1740. non praeterfugit crisim, nam mense Octobri incidit in febrim quatruiduanam, ob quam per biennium durantem, adeo debilitatus est, ut adhibitis diversis remediis, vires vix medias recuperans mansit frequentibus exposit alterationibus, iisque subinde periculosis obnoxius. Liquida causa condominii compulit ipsum Posonium, quam causam primas in commissione praeses legitimam agnoscens, capitulo adjudicavit, verum episcopus Agriensis, jurium capitularium inimicus, omnes assessores consilii circumveniens, in sententiam contrariam pertraxit. Totam illam aestatem Domsics Posonii et Viennae trahens, nonnisi cum fine Septembris Quinque-Ecclesias remeavit.

Die 16. Febr. 1746. dedit ei episcopus facultatem legendi libros haereticos eo fine, ut confessionem augustanam hungarica lingua editam, ac in dioecesi hac per praedicantem divulgatam, eadem hungarica lingua refutaret, pro quo labore fundate perficiendo requirebantur libri heterodoxorum, sine quibus opus haud moveri, eo minus promoveri poterat. Ea de causa sollicitus in omnem partem, ultra annum vix aliquid subsidii ex libris antiquioribus consecutus, 1747. 3. Sept. movit Viennam. Isthic cum nullus catholicus librarius onus conquirendorum librorum haereticorum in se assumere vellet, nactus est librarium augustanae confessionis nomine Petrum Conradum Monath, qui dato sibi securitatis promisso, quoscunque libros prohibitos, dummodo reperibiles ac venales sint, procurandi laborem suscepit. Domsics assumpto in se responsionis onere, libros extra imperium in diversis regionibus procurandos praestolari debuit cum magno aeris dispendio. Die 8. Decemb. comparuit pars librorum ex

authoribus circiter 40. constans, quos ultra duos centenarios ponderantes secum Quinque-Ecclesias devexit; quibus successivis temporibus librarius alios plures idoneos supermisit. 2)

Haec librorum continua lectio in perniciem eidem tum corporis, quum animae cessit, nam labefactata ejus corporis valetudo in dies novam experta est mali accessionem, ita ut de domo deinceps nunquam exiret, et media etiam aestate cubiculum calefactum habuit. Quod plus est: anno 1767. accusatur: quod in ejus vita vix quid pietatis, vix quid christianae religionis appareat; pensum suum nunquam persolvat, communionem paschalem penitus negligat, et passim libros haereticos legat. Hinc lustrata ejus bibliotheca omnes libri suspecti confiscantur; ipsique injungitur: ut peracta mox confessione, quotidie officium divinum persolvat, secus omnibus frustrandus emolumentis et beneficiis. Decessit Quinque-Ecclesiis 24. Maji 1768. aet. 77. tumultus in ecclesia cathedrali. Reliquit summam 23,200. flor. testamentaliter trifariam divisam. Pro uno sacro in eadem cathedrali annue cantando 5000. fl. obvenerunt, pro quorum interusurio cantata est quotannis missa solennis cum musicae concentu in festo pretiosissimi Sanguinis Domini, dum feria 2-da post dominicam SS. Trinitatis celebraretur; transposito autem hocce officio ad dominicam primam mensis Julii, missa haec fundata festo SS. Cordis Jesu fer. 6. post octavam Corpor. Christi absolvitur.

Quisnam fuerit e clero seculari ejusdem immediatus successor in Földvár, erui nequibat; ast mox sequebatur pro tempore

2.) Isthic autobiographiae filum praescinditur.

VIII. P. Gregorius Agjich, ordin. S. Franc. prov. Bosnensis. qui vitae finem fecit *Petrovaradini* 1739. 20. Octobr. in nosocomio Neoplantae epidemico morbo infectis spiritualia praestaret servitia, eadem lue abripitur.

IX. Stephanus Lakics, studiis operam dedit *Vra-tislaviae*, gnarus linguarum germanicae, hungaricae ac aliquantum slavicae; primum sacerdos dioecesis Wespri-miensis, ac parochus annis 1710. -- 1721. in *Zsámbék* (nunc dioec. Albens.); abhinc membrum archidioecesis Strigoniensis, ubi parochiam in *Várkony* cottu Posenien. rexit, 1729. ad *Földvár* translatus. Ejus cura domus parochialis in Földvár excitata fuit, uti superius dicitur. Resignata 1742. parochia *Tyrnaviae* consedit, in semi-nario victitans, ibique vitam clausit 1745. 17. Junii, sepultus in coemeterio S. Nicolai.

X. Casparus Ipolyi, aequae presbyter a. d. Strigon. qui 1734. 23. Maji in congregatione ante synodum qua vice-secretarius habetur subscriptus; ³⁾ factus circa id tempus parochus in *Dömös* prope Strigonium, 1736. pa-rochiam in *Muzsla*, anno autem 1742. hanc in *Földvár* gubernandam suscepit, pro hac 3. Junii installatus, sub quo sacellum SS. Sebastiani et Rochi isthic erigitur. Nominatus 1749. canonicus Strigoniensis, subinde ad praeposituram S. Georgii de viridi Campo Strigoniensi evehitur. Dum structurae novarum domorum Strigonii in-tenderet, in filiali *S. Thomae* vivere desiit 30. Dec. 1762. aet. 56. sepultus *Strigonii in arce*; cujus venerandae exuviae hodiedum in basilicae crypta reconditae habentur. Fuit sacerdos a sanctimonia vitae conspicuus, a beneficen-

3.) Vid. Péterffy concil. part. II. pag. 425.

tia multum celebrandus. Inventus est post mortem catenis ferreis nudo corpori adstrictis praecinctus, quas longiori tempore gestasse observabatur. Catena haec et feramenta, quibus utebatur, ut insignia voluntariae afflictionis exempla in archivo primatiali pro memoria asservantur. (Veneremur, si non imitemur!) — Testamenti sui tabulis assignavit fundum pro sacris per parochos districtus Strigoniensis celebrandis, et alium pro sublevamine pauperum scholarium Strigoniensium. 4) Etiam in Földvár habetur ab eo fundatio pro sacris.

XI. Joannes Georgius Weingruber, *Viennae* in collegio Pazmaniano 1743. metaphysicae, successive theologiae operam dedit, renunciatus 1749. parochus in *Földvár*, die 6. August. solenniter introductus. Initio anni 1761. translatus *Pestinum*, parochus ad B. M. V. assumptam institutus, ubi fatis concessit 1763. 31. August. postridie per Josephum Bajzáth, eotum canonicum Strigon. et tabulae reg. praelatum in crypta ejusdem ecclesiae parochialis tumulo datus, dum ageret 43. annum vitae.

XII. Ludovicus Czillich, vel etiam **Czillik**, filius *Budensis*, theologiae speculativae studuit Tyrnaviae, sacerorum canonum licentiatus insignitus; hic fuit ultimus Földvárensium e clero Strigoniensi parochus, in Februario 1761. installatus. Iste benedixit 1763. hic loci sacellum S. Joannis Nepom. praeterea procuravit ecclesiae parochiali fontem baptismalem ex marmore. Tempore hujus pastoris in ecclesia Földvárensi absolvebantur 12. sacra ex fundatione pie denati Caspari Ipolyi, quorum stipendium de anno in annum accurate per capitulum Strigo-

4.) Memor. Basil. et archiv. Strigon.

niense solvebatur. Capitale horum sacrorum occasione avulsionis parochiae a Strigoniensibus, per hos occupatum ac retentum, tandem post plures controversias anno 1796. dioecesi Quinqueecclesiensi restituitur. Praecone isto adhuc in Földvár commorante asservata fuit 1776. 18. Sept. visitatio canonica ex parte dioecesis nostrae, prout supra relatam est; eotum dies adorationis ab ordinariatu Strigoniensi constitutus, nempe 28. August. etiam pro futuro relinquebatur, qui postmodum sub regimine episcopi Scitovszky ad dominicam 15. post Pentecost. transiit. Idem parochus 1776. ornatus exstitit titulo abbatis *de Cholt*, suscepta 25. Dec. benedictione; insequenti anno ad priorem suam dioecesim rediens, regendo seminario generali *Budae* posthac praefit, una director ecclesiae universitatis Budensis dictus. Demum quiete fruiturus *Zirczium* se contulit, ubi 1792. 13. Mart. anno aet. 64. inter vivos esse desiit, sepulturam in ecclesiae abbatialis crypta adeptus.

XIII. Elias Ignatius Paffán, e nobili prosapia 1741. 31. Maji *Quinque-Ecclesiis* traxit natales, parentibus Andrea et Rosalia; gymnasialia in loco natali et Budae, isthic etiam philosophiam frequentavit. Pro alumnatu 1759. Quinque-Ecclesiis susceptus, dieque 8. Sept. ordinibus minoribus auctus, *Romam* mittitur ad collegium germanico-hungaricum pro combibenda sacra scientia, quo 29. Octob. e. a. appulit. In hocce Instituto juxta testimonium superiorum suorum optime se gessit, disputationem qua theologus anni tertii habuit publicam, et inibi finito cursu in facultate philosophica et theologica lauream emeruit. 5) Qua ordinatus subdiaconus 1763. 4. April.

5) protocoll. colleg. S. Apollinar.

deseruit limina Petri, per episcopum Georgium Klimó insequentis anni die 3. Junii presbyteris adnumeratus, jam tunc in aula applicitus nominatur capellanus episcopi ac secretarius consistorialis. Ineunte anno 1769. ad oppidum *Paks* dirigitur parochus, et una vice-archidiaconus renunciat; anno vero 1777. ad *Földvár* translatus, per generalem vicarium Georgium Nunkovics 19. Octobr. installatur, obtento jam 3. Febr. hujus anni honore canonici. In cathedrali nostra 1790. 14. August. stallum consecutus cum media praebenda, simul seminarii rector et canonicus theologus ordinatur, impetrata 1792. 17. Julii integra portione. Sub ejusdem rectoratu non modo aedificio seminarii pars orientalis, sed etiam dominio magnum accessit emolumentum. Custodiatum ecclesiae cathedralis a 29. Januar, 1802. gessit ad dies vitae. Prout in vita se beneficum exhibuit erga adolescentes literarios, ita et vi testamenti 6000. flos elocandos disposuit in stipendia studiosorum destinatos; ⁶⁾ insuper 20,000. flos capitale pro sublevamine viduarum et orphanorum officialium dominalium capituli, seminarii et ecclesiae cathedralis reliquit. Qua sacerdos jubilaris in annum 12-um spiritum Deo transmisit 1825. in vigilia Nativitatis Domini anno aet. 85. tumulatus in crypta capitulari.

XIV. Joannes Georgius Keszthelyi, 1739. in *Szakácsi*, filiali ad parochiam *Tapsony* comit. Simegh. vitae accepit usuram; imbutus in seminario domestico theologia, 1765. 20. Octobr. ornatur sacerdotio; post paucorum mensium capellaniam applicatur 1766. in *Vajszló* ut administrator, et qua talis etiam vice-archidiaconatum

6.) Stipendii hujus in annis 24. flos c. m. per quinquennium scriptor horum quoque participem se fuisse gratus agnoscit.

gessit, quem 1779. ad Szigetvár, ac 1790. ad Földvár secum transtulit, pro quo geminò ultimi loci officio die 22. Sept. juramentum deposuit; nuncupatus proxime sequenti anno honorarius, ex post vero 1797. actualis canonicus, 17. Maji stallo investus cum media prae bendae portione seminarii regimen suscepit, titulo protonotarii apostolici decoratus. In ipso seminario repentino apoplexiae fulmine prostratus, et sacro duntaxat ceromate inunctus paulo post supremum vixit 19. Mart 1805. aet. 66. — Una eademque die cum concanónico *Martino Kovárszky* letum opetiit, simulque una hora uterque in ecclesia cathedrali tumulum accepit. Fecit foundationes, de quibus vide *Recens.* tom I. pag. 143. In cathedrali ecclesia etiam habet fundata sacra. Ast neque loci sui natalis oblitus, ecclesiae Szakácsiensi praeter plura clenodia etiam casulam donavit, in praesens ibidem existentem, in qua sequens inscriptio legi potest: Ecclesiae S. Stephani Regis in Szakácsi d. G. K. C. E. Q. E. C. 1801.“

XV. Ladislaus comes Eszterházy, ex parochia *Abaliget* 1797. ad oppidum *Földvár* promotus 28. Junii votum elicit; exactoque in paroecia hac quinquennio 4. Nov. 1802. stallum in cathedrali ecclesia nostra assequitur, primum ejusdem ecclesiae parochus, postmodum generalis vicarius electus, abbatis quoque B. M. V. de *Koppán-Monostor* titulum gessit. Post obitum Francisci Szányi episcopi Rosnaviensis, capituli nostri condam dignissimi membri, hujus factus successor, 1810. 19. Decemb. ad infulas *Rosnavienses* sublimatur; et quidem ea temporis periodo, quae post hominum memoriam christianaepublicae plurimum fatalis et acerba exstitit, quaeve ecclesiae hungaricae antistitibus externam cum summo

Pontifice in negotiis ecclesiasticis communicationem interceperat. Hunc afflictissimum ecclesiae catholicae statum ingemiscenti corde suspexit neo-nominatus praesul. Die 6. April. 1811. ad civitatem suam episcopalem Rosnaviensem, adoptato sibi in secretarium *Josepho Markovics*, presbytero hucdum dioecesis Quinqueecclesiensis, comparuit, et mox unanimis capituli Rosnaviensis votis in vicarium capitularem electus, regimen dioecesanum auspicatus est. Ut ecclesiae sponsae suae de ministris, unaque fidei populo de pastoribus probe educatis institutisque consuleret, seminarium cleri junioris, studiumque theologicum primus introduxit, et 1814. 20. Nov. ad recentes seminarii aedes, ab exilio Tyrnaviensi reductam ecclesiasticam succrescentiam, quam oculi sui pastoralis pupillam semper futuram declaravit, superioribus et professoribus providit. Tandem Roma locuta est: inde etiam scripta venerunt, et ideo Ladislaus adusque capitularis vicarius, 23. Julii 1815. *Cassoviae* unctione mystica ministerio *Andreae Szabó* loci p. t. episcopi consecratus, festivas inter acclamationes ad inhabitatam jam principem suae residentiae civitatem revector, hactenus vicariali potestate administratum regimen ordinaria deinceps prosecuturus reassumsit. Ad lyceum suum philosophicum quoque cursum invexit 1816. sicque lyceo praerogativam publicitatis procuravit. Synodum dioecesanam 1821. diebus 5. 6. et 7. Nov. celebravit. Anno sequenti interfuit Posonii synodo nationali, in cujus sessione secunda sermonem habuit prelo subjectum. Dum anno 1824. dioecesim suam canonicè lustraret attrita eotum nonnihil valetudine, *Szomolnokini* constitutus, illud Vespasiani: „Imperatorem stando oportet mori,“ animo reputans, ipse qua Pontifex ad aram celebrans occubuit die 11. Sept.

anno aet. 56. die 13. e. m. *Rosnaviae* cathedralis ecclesiae cryptae illatus.*)

XVI. Emericus Herketz, provinciae Szaladiensis surculus in *Légrad* 1751. 24. Octobr. vitae datus; gymnasium Quinque-Ecclesiis visitavit, philosophia Jaurini absoluta; dein ut alumnus seminarii S. Pauli theologiae per 3. annos studuit, factus 1776. 1. Junii sacerdos et cooperator in *Kajdacs*, post sesquiannum ibidem administrator, translocatur 1793. ad *Kisasszonyfa* ut parochus, expletoque inibi fere decennio, exeunte anno 1802. resolvitur parochus et substitutus v. a. d. in *Földvár*, 20. Dec. voto obstrictus; ordinarius 1817. dictus vice-archidiaconus, itidem sibi substitutum 1822. accepit, et 1826. sacerdotii sui jubileum asservavit. Demum viribus exhaustus, senectute confectus laboribus succubuit, et mortis morsu ruit 10. Maji 1829. aetat. 79. anno.

XVII. Antonius Egyed, ubi ante 26. annos vitam pastoraalem ut capellanus inchoavit, illuc qua parochus et ordinarius v. a. d. anno 1829. rediit, ut substitutus jam 12. Junii 1822 juramento obligatus. Titulo abbatis *B. M. V. de Koppán-Monostor* 1832. insignitus, insequenti anno cruditae societatis hungaricae membrum correspondens eligitur. Vir erat omnibus numeris absolutus ob singularem comitatem, affabilitatem ac decorum etiam in sera aetate vultum omni veneratione honoreque dignus, qui plurimas duxit doctas vigilias, in conbibenda erudi-

*) Rozsnyói egyházi töredék VIII. 1839. — Vir iste eximius toti nostrae dioecesi, non propter auctoritatem patrum episcopi Pauli Ladislai, sed ob propriam virtutem et affabilitatem, fuit apprime charus; a toto clero ad distinctionem comitis praesulis passim „*Kis gróf*“ vel simpliciter „*Kis Laczi*“ nuncupatus.

tione assiduus, in promovenda et ditanda literatura hungarica perdius et pernox, ingenuarum literarum amorem et laborem in venerandam provexit senectutem. Ab Apolline lyram hungaricam svaviter sonantem hereditavit, qua indefesse canens tam originalia quaeipiam et proprio Marte conflata opuscula in lingua patria stylo ligato exarata prelo commisit, quam etiam nonnulla antiqui Latii poëtarum opera in hungaricum vertens, patriam literaturam multum locupletavit. Notabiliora, quae typis vulgavit, poëmata sunt haec: „Ovidius keservei“ (1826. Albaeregiae). „Elegiák levelekben.“ (1831. Pestini.) „Kis énekes könyv.“ (Albaeregiae.) „Egyházi himnuszok.“ (1835. Pestini.) „Meváltó.“ (1836. Strigoni.) „Ovidius pontusi elegiái.“ (1839. Pestini.) „Tibullus.“ (1845. Keeskemétini.) „Ovidius pontusi levelei“ (1845. Quinque-Ecclesiis.) „Átváltozások“ Ovidius Nasotól. (1851. Pestini.) Praeterea in manuscripto manserunt: historia ecclesiastica auctore Michl, quam ex germanico hungaricam reddidit, et plura alia scripta poëtica. Longam in mortali corpore duxit moram, sacerdotii jubileum 9. annis supervixit, et vitae 83. annum attigit tantus vir omni veneratione prosequendus, ut violentum et cruentum nanciscatur exitum, qui coeteroquin vel ipsa natura dicente salutare Dei quotidie praestolandum habuit. Nocte 23. inter ac 24-am Augusti 1862. latrones cubiculum ejus intrantes, inflictis multis vulneribus, lethaliter sauciatum ac semivivum spoliis onusti reliquerunt. Mortiferis his plagis excoctus animam 27-a e. m. Salvatori transmisit.

XVIII. Josephus German, vir germanae fidei et genuinae virtutis, cui solum natale 1812. 12. Aug. comitatus Posoniensis in loco *Deáki* dedit, qui secunda semper Minerva in literarum studio a juventute processe-

rat, idcirco etiam in virili aetate Musis redditur; nam terminato Quinque-Ecclesiis cursu gymnasii, anni 1830. autumnis alumnus seminarii insertus in philosophica et theologica facultate moderatorum suorum applausum braviumque emeruit; et etiam assumptum 1836. 7. August. *in ecclesia lycei* sacerdotium quodammodo praesagiebat: ipsum validissimum condam ac praestantissimum hujus instituti membrum futurum; dum enim in *Nádasd* ut capellanus impigre desudaret, portaretque pondus diei et aestus, una ingenium suum, quod felicissimum nactus est, diu noctuque excolere adlaboravit. Evocatus 1840. ad seminarium domesticum, ibidem studiis alumnorum praefectus, simul supplens theologiae moralis et pastoralis professor, rigoroso examine approbatus, renunciatur; post triennium translatus ad lyceum inibi professor historiarum, anno autem 1845. *Pestini* doctor philosophiae creatur. In illa germanisatorum epocha onus ipsi oppido grave incubuit, dum ei in literario hoc ludo hungarico studium historiarum lingua germanica tradendum injungeretur: ast majus adhuc cervicibus ejus inclinatum est, dum 1851. lycei cum gymnasio colliquescens director nominaretur, re-tenta ultra quoque traditi per se studii cathedra, cui provinciae illo absolutismi tempore sane arduae quam apprime responderit, testimonio esse possunt omnes eidem in urbe olim conviventes. Inter consistoriales 1853. relatus, elapso abhinc quinquennio potuit tandem pulveribus scholarum valedicere, ad *Nádasd* transpositus, ubi vigilem animarum egit curam ut pastor ordinarius et v. a. d. districtus Pécsváradensis; mense Decembri 1862. ad *Földvár* promotus. Vir meritis maturior quam annis, longiori aevo dignissimus gregem sibi commissum triennio duntaxat et trimestri pavit. Licet usque 4-am Martii 1866. qua die examini in scholis localibus praesidebat,

pancratice valeret, atqui quam lubrico pede res consistant mortalium, apparuit postridie, dum mors, ministrante sibi celerrimo satellite apoplexia robustum virum ad extremam deveheret lineam.

Ludit in humanis divina potentia rebus,

Et certam praesens vix habet hora fidem.

XIX. Joannes Nagy de Felső-Bük, 1811. 8. Junii nobili ortus genere in comitatus Simeghensis loco *Csákány*, terminatis Quinque-Ecclesiis sacris disciplinis characterem sacerdotali 1835. 7. August. insignitur; post expletam 11. annorum capellaniam in *Mohács, Babarcz, Földvár* et *Sexard* exactam, anno 1846. parochus praesentatur in *Tótkeszi*; confectisque ibidem 4. lustris ad *Földvár* 1866. traductus, 15. Julii installatur, insequenti anni die 13. Dec. abbas *S. Crucis* nuncupatus.

Cooperatores 1876.

1. Paulus Sághy, in Jovánca 3. Januar 1841. progenitus, ordinat. 2. Aug. 1864.

2. Josephus Halvax, 1842. 16. April. Kanizsae natus, ordinat. 20. Octobr. 1864.

Defunctus in Földvár cooperator.

Josephus Szabó, in ipso hoc oppido 1801. 8. Mart. vitae datus; sacerdotio 1826. 4. Sept. adplicatur; qua capellanus hujus loci isthic exstinctus est 1. Octobr. 1840. aetat. 40.
